Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Ludwig Fabricius

Joh. Ludovici Fabritii Apologeticus Pro Genere Humano Contra Calumniam Atheismi Ad Amplissimum Virum Philippum van Heiring

Heidelbergae: Heidelbergae: Rüdigerus: Ammonius, [1682]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018362371

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

68.

KB NB 0205.1-7

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1018362371/phys_0002

Mecklenburg
Vorpommern

Index Mater.

1. Buxtorfii Dissertationes.
2. Fabricii ΔΙΑΛΕΞΙΣ de Limitibus Obsequii.
3. — Ejusd. Apologeticus pro Genere humano.
4. Meieri Observationes de S. Scriptura.
5. Isingii Exercitationes Historicae.

Nr. ~~52~~ 53.

Praeposita V
Nbg

JOH. LUDOVICI FABRITII

APOLOGETICUS

PRO

GENERE HUMANO

CONTRA

Calumniam Atheismi,

AD

AMPLISSIMUM VIRUM

PHILIPPUM van HEIRING.

HEIDELBERGÆ.

Impensis JOH. MICHAELIS RüDIGERI, Bibliopol.

Literis SAMUELIS AMMONII, Acad. Typogr.

Regional-bibliothek Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018362371/phys_0005

Mecklenburg Vorpommern



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1018362371/phys_0006
Mecklenburg
Vorpommern

AMPLISSIMO VIRO,

PHILIPPO VAN HEIRING,

Sereniſſimi Naſſoviæ Principis, atque Hæreditarii Friſiæ & Groningæ Gubernatoris &c. Conſiliario, Fautori & Affini ſuo colendo,

S. P. D.

JOH. LUD. FABRITIUS.

Mireris fortè, quin imò rideas, VIR AMPLISSIME, quòd, cùm multis ac variis calumniis undique in me conjectis tantùm non obrui videar; Ego tamen earum omnium incurioſus, neque de iis à me depellendis quicquam ſolicitus, totius Generis Humani defenſionem adverſus communem quandam calumniam, iſthoc tempore, iteratò ſuſcipere voluerim. Dicas Scholaſticorum Hominum hanc conſuetudinem eſſe, ut, dum ex generalibus rerum ideis oblectationem habent, ſingularia ac propria ſua negotia vel prorſus negligant vel ſaltem obeant remiſſiùs. Quo quidem errore fateor me non penitus immunem eſſe: Sed tamen & alia mihi eſt, eaque potior, hujus inſtituti ratio. Etenim perſuaſiſſimum habeo,

beo, mihi non solùm ut Homini, sed multò magis ut Christiano, maximè verò ut Illi qui revelatam de Deo Doctrinam Aliis publicè trado, hoc imprimis incumbere, ut eas commentationes, quæ ad concelebrandam Divinæ Sapientiæ ac Benignitatis Gloriam faciunt, Scriptionibus quibuscunque aliis anteponam. Eò autem inter cœtera pertinet, ut veritas illius notitiæ ac legis, quam Deus Mortalium omnium mentibus insculpsit, atque illius Testimonii, quod omnium, etiam immanissimarum, Gentium Sensibus ab omni ævo exposuit, asseratur, simulatque Divini cultûs necessitudo, & Humani Generis Dignitas vindicetur, ne quis Rempublicam absque religione subsistere posse, aut Homines, extinctis omnibus nativi Luminis reliquiis, universim infra Bestiarum sortem detrusos esse, sibi falsò persuadeat. Quantum verò ad nominis mei existimationem attinet, non video me ad eam verbis tuendam æquè devinctum esse, præsertim cùm petulantia conviciatorum, non multis sermonibus, sed rectè factis, quàm efficacissimè revinci

vinci atque coërceri, & possit & debeat. Absit enim ut gloriolam meam cum Dei gloria confundam, cùm nihil impium magis ac sacrilegum sit, aut quo DIVINI NUMINIS MAJESTAS insolentiùs & proterviùs oblæ datur, quàm *Illorum Hierophantarum Hypocrisis*, qui subtilissimâ quâdam, sed tantò periculosiori & magis mysticâ *idololatriâ*, atq; *Antichristianitate*, semet Ipsos Dei & Christi loco ponunt, dum lites suas ex Ambitionis intemperie ut plurimùm enatas confestim Dei causam esse jactant, suique animi impotentiam, & malesanam vindictæ cupiditatem sanctissimo Divini Zeli nomine obtexunt. Mihi semper cum *Augustino* creditum est, Christianæ religionis summam in hoc consistere, ut quem Servatorem adoramus, Eundem imitemur. At Hic neq; convitia convitiis rependit, neque Apologias pro se scripsit, neque ad Terrarum Dominos querelas suas detulit, neque injuriarum instituit actiones; verùm rectè agendo, & Inimicis Ipsis benefaciendo, cunctos malitiæ insultus gloriosè superavit, plenissimas innocentiæ suæ vindicias tempori, quod omnia

aperit, vel potiùs Patris sui Optimi Maximi Providentiæ, committens.

Quamvis autem officii mei ratio minimè flagitet, ut injurias, si quæ mihi inferuntur, operosiùs persequar; flagitat tamen eadem, ut gratum erga Eos animum ostendam, qui absq; rogatu meo, sponte suâ, ex solo Justi & Æqui amore, patrocinium meum susceperunt. Quos inter cùm Te, VIR AMPLISSIME, promtissimum faventissimumq; expertus fuerim, non potui quin publicè hîc, quod sentio, profiterer, me videlicet de Tua erga me Benevolentia quàm maximè Tibi obstrictũ devinctumque esse. Nam & hoc Viro Bono est cavendum, ne, quemadmodum ad falsas atq; evanidas Malevolorum Hominum criminationes immotum sese & obfirmatum præbet, ita pariter nullo beneficiorum aut amicitiæ sensu affici aut commoveri videatur. Ut enim illud constantis, ita hoc omninò stupidi & ingrati perversiq; animi indicium foret. Hisce Vale quàm optatissimè, mihiq; porrò favere perge. Heidelb. Tert. Cal. Januar. CIↃ IↃC LXXXII.

APOLO-

APOLOGETICI

Pro

GENERE HVMANO

Contra

Atheismi Calumniam

PARS PRIMA,

Quâ accusationis fundamentum proponitur.

THESIS I.

COmmodùm ades, mi Theophile, ut quæ inter Aristæum nostrum & Me agitata sunt, Tibi recenseam, illiusque nostræ disceptationis Te constituam Arbitrum. Alienis hesternâ die negotiis defatigatus cùm domum revertissem, jucundiori meditatione animum relaxaturus, in Musèum solus concesseram; quando jam hunc jam illum prensans librum, eundemque iterum fastidiosè rejiciens, in tabulas tandem incidi Geographicas, quibus perlustrandis & oculis atque imaginatione meâ peragrandis intentum, aliâque inde meditantem deprehendit improvisò superveniens Aristæus. Festiviùs ille, ut solet, iterne aliquod meditaris, infit; an desertis Theologorum castris ad Geographos transfuga cessisti? Quin imò, inquam ego, Sacris hîc operam navo, neque aliud quàm ad Deum iter meditor. Non hinc re-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018362371/phys_0011
Mecklenburg Vorpommern

gionum ſitum & magnitudinem, ſed religionis primum perdiſco principium; *Deum* nimirum *eſſe, Orbis iſtius Conditorem.* Ad cujus veritatis perſuaſionem confirmandam non parum roboris atque momenti afferre videtur communis & conſtans gentium omnium atque Populorum conſenſus, quem, tabularum iſtarum inſpectione, meditari cœpi, tuque ſodes mecum meditare.

II.

Aſpice latè has quaquaverſum patentes terras; iſtas item per Oceanum disjectas inſulas; harum Incolæ tàm vaſtis inter ſe ſpatiis disjuncti, tantâque ingenii, culturæ, morum, ſtudiorum, legum varietate diſtincti ſunt, ut nihil commercii inter ipſos unquam interceſſiſſe crederes; in unam tamen de Numinis exiſtentia fidem convenerunt, & per tot ſæculorum lapſus etiam nunc conveniunt omnes. Brutos illos, omni morum humanitate, omnique civilis ſocietatis commoditate deſtitutos, per montium aſpreta palantes, & in ſpeluncis hinc inde cubantes Homines animo tuo repræſenta; præter externam corporis figuram vix aliud quippiam hominis habere videntur. Deum tamen credunt, & aliquod verentur Numen. Horridas Scytharum ſolitudines aſpice: inde remotiſſima Orientis litora relege: Divini cultûs veſtigia ubique occurrent. Vide hunc ad lævam extra cœli ſoliſque vias jacentem tractum; Gens illum inhabitare dicitur immanis & efferata, ſupremi tamen Rectoris non neſcia. Quòd ſi ad alterum illum Majoribus noſtris inacceſſum orbem transnaviges, Populi occurrent admirandâ diſciplinæ & inſtitutorum varietate à ſe invicem ſeparati, ſed qui in Numinis alicujus notitiam & cultum conſpirant omnes.

III.

Nimirum, ut cum Maximo Tyrio loquar, *nullum eſt genus*

genus hominum neque Barbarum neque Græcum, sive in mari sive in continenti vivat, sive sine sede vagetur sive urbem incolat, quod non aliquâ Divini cultûs signa erigat. Omnibus enim, ut ait Seneca, *opinio de Diis est insita, neque ulla gens usquam existit adeò extrà leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat.* Neque Cicero *quemquam hominum tàm immanem esse suspicatur, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi scilicet de Diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim & Naturam Divinam arbitrantur. Imò adeò altè insedit sensus Divinitatis cordibus, ut homines falsum Deum habere malint quàm nullum.* Quare & Epicurus *in omnium hominum animis Deorum notionem ab ipsa natura impressam esse fatetur. Quæ enim*, ut alibi idē Cicero, *gens est, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus.*

IV.

Hæc autem opinio cùm non hominum collocutione & consensu stabilita, neque institutis neque legibus confirmata, sed insita nobis vel innata potiùs sit, certam eam esse confitendum est. De quo enim omnium natura consentit, id verum esse necesse est: cùm omnium gentium consensio sit ipsa vox naturæ, ut passim ille ipse Romanæ Eloquentiæ Pater docet. Quando igitur Universus, & Eous cum Occiduo, & Australis cum Arctoo, terrarū Orbis constanter in hanc doctrinā conspiravit; Unde obsecro tàm admiranda consensio, si Superioris illius Majestatis reverentia inane tantùm sit commentum, & veritatis vacua imaginatio? Notitiæ illius universalis, aliudne quam universale potest esse principium? Ipsa nimirùm Natura, cui si quis fidem deroget, nunquid eo ipso hominem exuisse censendus est?

V. CON-

V.

CONTRA ARISTÆUS; Non equidem diffiteor, inquit, Tuæ isti meditationi aliquid subesse veritatis. Nondum tamen à me impetrare possum, ut eam demonstrationis loco habeam. Duo præstruis fundamenta meo judicio infirmissima; Primum, *Nullum unquam fuisse Populum, neque sanæ mentis quemquam hominem, quin Deum esse cognoverit.* Alterum; *Ea quæ omnium hominum testimoniis celebrantur, pro veris atque indubitatis habenda esse.* Utrumque hoc effatum tanquam immota præmunis axiomata, adversus quæ, veritatis investigandæ gratia, ne ægrè feras, si, qui me urgent, scrupulos proponam. Non quidem id ago, ut doctrinam de Numinis existentia vel confirmem vel diluam. De ea enim aliunde non minùs certus sum quàm de mea ipsius existentia. Hoc solum quæro, an tuum illud à Gentium omnium consensu petitum argumentum, ad veritatem illam demonstrandam efficax satis sit atque evidens. Quod ut solidè discutiamus, prius illud cui innititur principium nunc examinabimus, alterius disquisitione in aliud tempus dilatâ.

VI.

Hæc præfatus, ita ad me pergebat Aristæus. Primo, inquit, Tuum de omnium omnino mortalium fide universale effatum, temerarium nimis esse videtur. Vix ipse centesimam Europæ, quæ omnium minima est, partem perlustrâsti; cæteras non nisi in tabellis istiusmodi delineatas regiones aspexisti; tàm audacter tamen, quid cuncti mortales sentiant, pronuntias. Nunquid in singulorum hominum animos erat descendendum, eorumque secretissimæ & anfractuosæ latebræ perquirendæ, antequam de ipsorum pietate certi quippiam statueres? Ciceronem,

Senecam

Senecam, Maximum Tyrium adducis teſtes, quibus ſi volueris & Auguſtinum & alios adjungere poteris quàm plurimos. Verùm obſecro, an illos in Mortalium omnium religionem accuratè inquiſiviſſe, an potiùs pari, quâ Tu ipſe, præcipiti confidentia incertum quid aſſeveraſſe credas? Scilicet eximii illi Geographi, qui omnem terrarum tractum in Græciam & reliquum orbem (egregiâ ſane & æquâ partitione!) dividere ſolebant; vel qui Romani imperii & Orbis terrarũ eoſdem ſibi fingebant limites; quibus & Arctoæ, & Auſtrales & medio cœlo ſubjacentes plagæ, vel ob nimium frigus vel ex nimio æſtu, deſertæ & incolarum omniũ vacuæ exiſtimabantur; quibus nefarium videbatur Antipodas credere; quibus adeò vix decima terrarũ pars (cujus ipſius velnullam vel exiguam habebant notitiam) cenſebatur eſſe habitabilis; Hi ſcilicet ſunt idonei illi quos imploras ſuffragatores!

VII.

Sed quandoquidem tibi viſum eſt, in Muſeo hîc ſedenti, ex tabellis iſtis de omnium Gentium religione judicare; aſpice quæſo vel illas partes, quæ etiamnum hodie TERRARUM INCOGNITARUM nomine inſigniuntur: an & Tibi conſtat, quisillic locorum de Deo ſenſus ſit? Dices forte, effatum Tuum ſaltem de cognitis gentibus verum eſſe, neque quicquam obſtare quo minùs idẽ de aliis quoque judicium feramus. Verùm eo ipſo fateris, axioma illud univerſale debere reſtringi, & de ejus ſaltem aliquâ parte dubitari poſſe. Neque enim ex eo quòd gentes nobis cognitæ Numen aliquod colunt, certò concludere licet, alias omnes nobis incognitas eâdem Divinitatis reverentiâ teneri; præſertim cùm religio ex politiſſimorum Populorum inſtituto proficiſci videatur, atque adeo ad nationes incultas, quæ eædem à nobis re-

motissimæ, & proinde incognitæ sunt, forte non pervenerit.

VIII.

Verùm his omnibus prætermissis, plurimorum has ipsas nobis cognitas terras inhabitantium Populorum Atheismum jam nunc tibi ostendam. Age igitur, Vetustissimorum Germanorum religionem inquire; Ipsos antequam à vicinis Gentibus religionem essent edocti, sine omni Numinis cognitione, bestiarum instar vixisse deprehendes. Testem habeo locupletissimum *Cæsarem* lib. VI. Comment. de bello Gallico, ubi disertè de Germanis pronuntiat, ipsos *neque Druides habuisse neque studuisse sacrificiis*. Sed & Romanos ante tempora Numæ Numinis notitiâ omni caruisse, ex Halicarnasseo & Livio discimus. Quorum ille lib. 2. Antiq. Rom. de Pompilio isto; *Pietatem ante omnia docuit homines, qui Dii mortalibus omnium bonorum autores sint & conservatores.* Hic vero: *Numa omnium primùm rem, ad multitudinem imperitam & illis temporibus rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est, qui cùm descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cùm Dea Egeria congressus nocturnos esse.* Unde intelligis priscis Romanis non solùm nullam sed & odiosam fuisse religionem, ita ut non nisi artificio quodam à prudenti Legislatore potuerit stabiliri. Nimirum Numa ex Pythagoræ instituto, & ad Græcorum exemplum, introduxit Divinitatis cultum, quem Græci didicerunt à Pelasgis, quos ipsos primis temporibus Atheos fuisse Herodotus testatur in Eut. tmem. 48. *Pelasgi* inquit, *Deorum nomen penitus ignorarunt, neque illud ipsis auditum fuit, antequam ab Ægyptiis acciperent.* Nempe unà cum politiori literatura & prudentiori Civilis societatis institutione

stitutione ad ipsos transivit religio. Qua de causa remotiores sub Septentrionem habitantes Populi etiam nunc hodiè sine Numinis cultu degunt. Sic enim Belgæ in navigatione, anno superioris seculi nonagesimo quinto, ad novam Zemblam susceptâ, à Moscis didicerunt; *Zemblitas homines esse penitus feros, neq; legem neq; fidem ipsis esse.* Naviga Eoum mare; *Zeilan* invenies insulam, *cujus incolas nullam Dei notitiam habere*, testis est *Sharrok.* lib. de Officiis cap. XVI.

IX.

Ad Africam respicis. Audi de eâ Strabonem, lib. XII. *Ex iis qui ad torridam plagam habitant, nonnulli sine Deorum veneratione creduntur esse.* Sed quid Strabonem adduco? Audi *Thomam Herbertum* Anglum in peregrin. p. 17. *Quicquid Aristoteli de non existentia Atheorum, quicquid etiam aliis affirmare placuit, Ipse tamen præsens nullo signo aut percontandi ratione quicquam invenire potui, quo argui posset* SOULDANOS *quibuscum versabar, vel unam religionis fovisse scintillam, Deumve ipsum, cœlum, infernum aut æternitatem omninò illis suboluisse. Nulla apud hos cultûs loca: feriæ nullæ: nullus Naturæ ordo; nihil verecundiæ; nihil veritatis; nullæ ad natalitia aut sepulturam pietatis ceremoniæ.* Hæc ille de *Souldanis*, extremas Africæ oras inhabitantibus Populis. Quibus gemina *de Guineensibus refert Hugo à Lindtschoten*, testis omni exceptione major, in narratione itineris anno 1579 ex Hollandia in Indiam Orientalem suscepti, ubi primâ stat m paginâ *Guineam regionem populosam* esse dicit, *sed ubi nulla sit Dei cognitio, neque ulla vigeat honestior disciplina.* Quod idem in descriptione Promontorii *Lopes Gonzalum*, de Incolis Ejus testatur; *Deum* nimirum *Ipsis omninò incognitum esse.*

X.

Quod si verò ad alterum illum Orbem transnaviges,

& versus Austrum in *Megallanicam* deflectas, in Populum incides penitus efferatum, *cui nulla ineſt religionis aut civilis ſocietatis aut humanitatis ſcintilla*, ut Classis Nassovica anno hujus seculi vigesimo ad litora illa appellens, edocta fuit, teste *Joanne de Laet descript. Ind. Occid. lib. XIII. cap. XIV.* Inde ad *Peruvianos* ascende; audies antequam *Yncarum* imperio subjecti essent, *magnam horum partem ſine ulla Numinis veneratione vixiſſe; ab illo demum tempore quo in civilem ſocietatem coacti ſunt, Eos cœpiſſe adorare Solem.* Idem lib. x. cap. I. Ex *Peruvia ad Toupinambaultos* & in *Braſiliam* concede. Ante Christianorum adventum nullam ibi religionis umbram fuisse docent constanter Geographi omnes. Inter alios idem Laëtius lib. xv. cap. II. & *Joh. Lerius* qui, per totum annum illic versatus in mores Incolarum accuratissimè inquisivit, sed nullum planè Divinitatis sensum in ipsis deprehendit; quare & *cap.* XVI. *navig. in Braſ.* affirmat *ſe non credere Gentem ullam in toto terrarum orbe eſſe, quæ ab omni religione ſit magis aliena.* Ex *Braſilia* ad *Guianos* ascende; *Populum invenies omni omninò religione deſtitutum. Nullam Guianenſes habent religionem, adeoque nec Sacerdotes ullos*, ait *Laëtius* lib. XVII. cap. VI. Ex Guiana Septemtrionem versus, *novam Hiſpaniam* ingredere; audies Incolas Ejus vetustissimos *Chichimecas nullum neque agnoviſſe neque coluiſſe Deum, nullâ uſos fuiſſe religione aut ceremoniis. Acoſta* lib. VII. *Hiſt Indicæ* cap. II. Sic antequam *Florida* Christianis frequentata fuisset, *certa religio Incolis nulla, neque certa aliqua colebatur Divinitas*, ut refert fide dignissimus *Landonerius* in Commentariis suis de itinere in Floridam. Si ex *Florida* in *Novam Mexicam* transeas, Conchos offendes, *gentem barbaram, quæ neque idola nuper neque quippiam aliud adorabat*, ut refert Joh. Gonſalvus

ſalvus de Mendoza. In eodem quidem Septentrionis tractu, Antonius de Eſpeio (cujus iter Mendoza deſcripſit) in aliud hominum genus incidit, cui aliquis videbatur ineſſe religionis ſenſus; cœlum enim ſpectabant, & ibi Dominum quendam eſſe indigitabant, magnificentiſſimum vitæ omniumque bonorum largitorem; appropinquabant etiam ad Hiſpanos Monachos, ab iiſque ſacram benedictionem petebant. Cùm verò ex ipſis rogaretur, unde hanc Divinitatis accepiſſent notitiam, reſponderunt; à peregrinis quibuſdam, qui paulo anté illâc tranſierant. Deprehenderunt certis ſignis Hiſpani, advenas illos ex ſociorum ſuorum numero fuiſſe. Præfiſcine dicam, *Primos Americæ Incolas Populum fuiſſe Brutorum Generi non abſimilem, ſine Rege, Lege, Deo aut ratione.* Verba hæc ſunt graviſſimi & harum rerum peritiſſimi ſcriptoris *Joſephi de Acoſta*, lib. VII. Hiſt. Ind. cap. III. Poſſet & *Socini* teſtimonium laudari, qui prælect Theol. cap. II pag. 4. *Integros* dicit *eſſe Populos, qui nullum penitus ſenſum aut ſuſpicionem Divinitatis alicujus habent. Hic ſunt in novo occidentali orbe in Breſilia provincia, ut hiſtorici tradunt, mihique Vir fide dignus* (Piſtorienſis nimirum Monachus Franciſcanus, ut patet ex Ejuſdem Socini libro de autor. S. Scripturæ,) *ſanctè affirmavit, qui in ipſo loco aliquandiu fuerat. Sed & alibi quoque ejuſmodi gentes reperiri, India recens hiſtoria teſtatur.* Suffragatur *Vorſtius*, in notis ad diſput. primam de Deo. *Oſterodum*, *Sharrok*, & alios omittam, cùm ex iis, quæ diximus, abunde Falſitatis convictum ſit principium illud; DIVINITATIS SENSUM OMNIBUS GENTIBUS INESSE. Id quod erat expediendum. Hæc cùm Ariſtæus recitaſſet, à me reſponſionem popoſcit; quæcunque enim dixerat, infirma atque veritati diſſentanea eſſe pro-

se profitebatur. Addebat se non alio fine ista proposuisse, quàm ut amplioris refutationis mihi præberet occasionem. Dies dicta est crastina, quâ propositas istas omnes rationes profligem. Si certamini interesse libitum fuerit, arbiter eris, mi Theophile.

APOLOGETICI
PRO
GENERE HUMANO
Contra
Calumniam Atheismi
PARS SECUNDA,

Quâ accusationis fundamentum, quantum ad Europæos, evertitur.

THESIS I.

CUm & otium nunc nobis suppetat, & Theophilum constitutum disceptationis nostræ Arbitrum præsentem hic habeamus, agedum mi Aristæe, quas nudius tertius pollicitus sum NATURALIS RELIGIONIS vindicias accipe. Sed ne in ipso limine impingamus, per *naturalem religionem* cave intelligas, genuinum ipsum, omnibus numeris absolutum & beatæ immortalitatis parium Dei cultum, cujus modum non nisi ex Sacris codicibus

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018362371/phys_0020
Mecklenburg Vorpommern

cibus addiſci poſſe profiteor. Non alia eo nomine hic mi, hi venit pietas, quàm generalis ille & imperfectus Divinitatis ſenſus, quem Gentibus omnibus inſitum eſſe affirmo. Hunc Tu in dubium revocaſti, ejuſque Tuæ dubitationis nonnulla attuliſti argumenta, quæ ordine nunc retexenda ſuſcipio.

II.

Ac primò quidem non video cur me temerarium appelles, eo quòd Gentibus in univerſum omnibus aliquam religionem ineſſe ſtatuam, etiamſi omnes Gentes Ipſe non inviſerim. Regiones omnes ac ſingulas mihi peragrandas eſſe dicis, antequam quid ubivis regionum de Deo ſtatuatur, aſſeverare auſim; neque ſi tibi credam, ex Populorum nobis cognitorum religione, de Incognitarm Gentium pietate aliquid colligere licebit. Verùm, nunquid iniquum eſt, neglectis omnium Hiſtoricorum & Geographorum monumentis; repudiatis hominum etiamnunc viventium, qui magnam Orbis partem & remotiſſimas regiones peragrarunt, teſtimoniis; rejectâ denique proptiâ ex qualibuſcunque peregrinationibus hauſtâ cognitione; his omnibus, inquam, contemtis, ea quærere quæ habere non poſſumus, iiſque fidem derogare, quæ nullâ legitimâ ſuſpicione gravantur? Scilicet, cùm Belgarum, Anglorum, Hiſpanorum, Aliorum navigationibus nunc totus Orbis ſit pervius, cùm inter Europæos alioſque populos propemodum omnes, terrâ marique frequentiſſima intercedant commercia, ex conſtanti Horum omnium teſtificatione nihil certi addiſcere poſſumus. Quid igitur tandem pro certo & indubitato habebitur, ſi id quod omnes uno ore narrant Gentes, ſuſpectum tibi ſit atque dubium? Certè Romæ nunquam fuimus, neque Conſtantinopoli-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018362371/phys_0021
Mecklenburg Vorpommern

inopolin unquam vidimus neque Tu, mi Aristæe, neque Ego. Romam tamen existere, & Constantinopolin Turcici Imperii caput esse, nunquid ridiculi essemus, si vocaremus in dubium?

III.

Porrò, quotquot cognitæ nobis sunt Gentes, Deum colunt, quid igitur obstat quo minùs idem sentiamus de paucis aliis nobis incognitis? Nunquid de similibus idem solet ferri judicium? Imbecillis certè animi signum est, atque nimium meticulosi, non audere universale statuere axioma, prius quàm singula, etsi infinita neque simul existentia, membra examinaverit, cùm ex ipsa unius rei natura certò colligi possit, quid de aliis omnibus Ejusdem generis sit sentiendum. Ipsa enim natura in quovis, ut cum Scholasticis loquar, individuo, totum genus refert. Vel an dubitabis omnem ignem statuere calidum, eò quòd Heclæ flammas apud Islandos non senseris, aut Ætnæ æstuaria non accesseris? Illas profectò aquas, quæ Indum & Gangem, Maraonem item & Argenteum apud Americanos fluvium, imò sexcenties mille fontes & rivulos, quorum notitia ad neminem Europæorum unquam pervenit, constituunt; illas inquam aquas ex immoto naturæ principio, æq; certò scio humidas esse, quàm has ipsas quas Rhenus aut Nicer noster volvit. In ultimis Antracticæ plagæ recessibus si montes sint, non dubito quin ipsis adsint valles: quamvis nec montes istos nec valles quisquam forte mortalium unquam viderit.

IV.

Sic quotquot sunt homines, intelligentiâ & Beatitatis amore præditos esse scio, licet de maxima eorum parte, nihil

te nihil unquam inaudiverim; & cùm tales sint, certò scio ipsos *Primæ Veritatis* & *Summi Boni* non posse esse omninò nescios. Sic quotquot existunt homines, ad societatem contrahendam naturâ comparatos esse persuasum habeo; quando autem sine religionis vinculo societas firmiter constare non potest, certò concludo eâdem Naturæ vi quæ homines ad societatem trahit, ad religionem quoque omnes impelli. Quòd si ista omnia, quæ in universo hoc rerum theatro occurrunt, diligentiùs considerem, deprehendo eorum quodvis pro sua statione atque conditione, Autoris sui Naturam quadantenus exprimere. Cœlum Conditoris sui deprædicat sapientiam, Bonitatem, Potentiam, sed virtutes eas *opere* deprædicat, cùm *ore* & *mente* non possit. Homo igitur utpote excellentioribus facultatibus ornatus, pro earum dignitate Autorem quoque suum excellentiori quadam ratione necessariò refert, ipsum nimirum utcunque intelligendo & amando. Porrò credibile non est quemquam mortalium existere, quin aliquid se ipso potentius & præcellentius concipiat, atque adeò illud sub quacunque tandem idea veneretur, & insito prosequatur honore. Omnes aliquam superiorem potentiam timent, omnes igitur eam quodammodo agnoscunt: Et ipsa illa imbecillitas nostra Numinis existentiam demonstrat. Quòd accuratissimi naturæ humanæ Indagatores sibi persuadere non possunt, Atheos dari; hoc ipsum non leve indicium est, hominum ingenium ab omnimoda Dei ignorantia naturaliter abhorrere. Possumus nescire Antipodas esse; possumus torridam & frigidas Zonas desertas credere; at verò Deum, cujus Ideam in nobis habemus, ignorare non possumus. Dices forte, quotusquisque tamen est, qui de his ne semel quidem cogitet?

gitet? Multi sunt, fateor, qui se de hisce cogitare, non cogitant. Verùm licet mens eorum nunquam in se redeat, ut reflexâ meditatione illam Numinis cognitionem contemplentur, ipsum tamen Numen ex tacito naturæ præscripto directâ cognitione apprehendunt. Ex quibus omnibus concluditùr, quandoquidem ipsum notitiæ fundamentum mortalibus omnibus commune est, ipsam quoque notitiam omnibus communem esse.

V.

Verùm cùm nec ipse vim hujus conclusionis obstinatiùs impugnaveris, ad reliqua transeamus. Populos nobis cognitos Atheismi accusas, & inter eos quidem primùm Majores nostros Germanos, quos certè insigni injuriâ afficere videris. Adducis testimonium Cæsaris; *Germani neque Druides habent qui rebus Divinis præsint, neque sacrificiis studeant.* Agnosco verba, verùm & tu ea agnosces, quæ sequuntur; *Deorum numerum Eos solos ducunt quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem & Vulcanum & Lunam, reliquos ne famâ quidem acceperunt.* Quæso, an qui Deos colunt, Athei sunt? scilicet minùs pii fuêre, eò quòd non plures tribus Diis adoraverunt. Ego verò eos sapientiores & religiosiores fuisse existimem, qui pauciores quàm qui plures coluerunt Deos, cùm Illi minùs quàm Isti à genuino Unius Numinis cultu recessisse videantur. Si *Macrobio* credas *lib. I. Saturnal. cap. XVII. & sequentibus.* Dii omnes Veterum Gentilium ad unum SOLEM erant reducendi, ex quâ sententia quando solem adorarunt Germani, eo ipso adorarunt reliquos omnes. Quod verò tres tantùm istos nominatim coluerunt, de reliquis autem ne fama quidem ad eos pervenit, certissimum est argumentum, Germanos religionem suam non

ex

ex Græcorum aut Romanorum institutis recepisse; quî enim factum esset, ut neglectis reliquis, Jove inprimis ac Junone, tres illi solùm ipsis innotuissent? Unde cadit illud quod insinuare voluisti, Germanos non nisi ex commercio cum Romanis religionem aliquam hausisse. Id quod luculentissimè etiam refellitur ex eo, quòd antiquissimis Teutonibus nulla cum Romanis interceſſit amicitia, commercium nullum; multò minùs tanta necessitudo ut Sacra ab illis mutuati fuerint. Nam & *Barbari*, ut *Halicarnassæus ait lib. VII. antiq. Rom. proprias atque à Patribus traditas ceremonias quàm diutissimè servant*; Καὶ χρόνῳ ἐδεὶς μέχρι τῦ παρόντος ἀπομαθεῖν ἢ παρανομῆσαί τι περὶ τὰς ὠργιασμένας τῶν θεῶν ἔπεισεν, ὅτε Αιγυπτίας, ὅτε λιβυας, ὅτε Κελτὰς, ὅτε Σκύθας, ὅτε Ἰνδὰς, ὅτε ἄλλο βάρβαρον ἔθνος ἐδὲν ἁπλῶς. εἰ μη τινες ὑφ' ἑτέρων ἐξεσία ποτέ γενόμενοι, τὰ τῶν κρατησάντων ἠναγκάσθησαν ἐπιτηδεύματα μεταλαβεῖν. *Neque longâ temporum serie adduci potuerunt, ut cultum Deorum dediscere aut aliqua ex parte mutare voluerint vel Ægyptii vel Afri vel CELTÆ vel SCYTHÆ vel Indi, aliáve ulla gens barbara, nisi forte in alienam potestatem redacta, & coacta victoris ritus recipere.* Imò tàm diversi fuére Germanorum ritus à ceremoniis Romanorum, ut ineptus planè esset, qui illos ab his originem duxisse sibi persuaderet.

VI.

Quin ipse Cæsar quando Germanis *Druidas nullos*, *Sacrificia nulla* fuisse affirmat, non omnem propterea ipsis denegat religionem, sed eam solùm quæ cum Gallorum ritibus conveniat. Qua in re tamen gravissimè hallucinatus esse videtur. Gallorum enim & Germanorum eadem est Gens. Non dicam Germanos omnes fuisse Gallos, quamvis id innuat *Diodorus Siculus lib. V. Bibl. quando O-*

mnes ad Scythiam usque diffusos & ad Oceanum Hercinium-que montem sitos Populos, Gallos vocari testatur. At hoc certum est, omnes illos fuisse CELTAS, MORIBUS INTER SE NON DISSIMILES, ut testatur *Strabo lib.* VII. & ipse *Cæsar* apud *Dionem lib.* XXXVIII. Ipsa quoque Germanorum Sacra, quæ Tacitus describit, adeò conveniunt cum iis quæ de Gallorum ceremoniis refert Cæsar, ut institutâ comparatione eandem fuisse religionem clarissimè deprehendas. Verùm etiamsi Cæsar Germanos Atheismi accusaviſſet, quod tamen neutiquam ab eo factum, parùm me Illius moveret autoritas. Quæ de Gallorum, quos ipse vocat, moribus scribit, non facile in dubium vocaverim; quæ de Germanis, incerta & lubrica sunt. Illorum instituta exactè perspexisse poterat, Horum non item; in Gallia enim per decennium bella gessit, in Germaniam vix pedem intulit, cæterà barbaræ quoque religionis proculdubio incuriosus.

VII.

Tacitum potiùs audiamus, qui Galliæ Belgicæ Præfectus, vicinorum religionem non perfunctoriè & oscitanter, sed accuratè atque sedulò addidicit. Refert ille lib. I. Annal *quòd, cùm Germanicus in Teutoburgensem saltum venisset, in quo reliquiæ Vari legionumque insepultæ dicebantur, invenerit lucis propinquis BARBARAS ARAS, apud quas Tribunos ac Primorum Ordinum Centuriones mactaverant Germani.* Ergò *Sacrificia* habebant, siquidem habuerunt *aras*, hostesque ceu victimas mactarunt. Nunquid Deo? Ita sane. *Marti* scilicet; *cui & Galli, cùm prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello ceperint, plerumque devovebant, teste Cæsare Comm. lib. VI.* Sic enim *Tacitus lib. XIII. Annal. Hermunduros Cattorum victores diver-*

sam

sam aciem Marti ac Mercurio sacraviſſe, eoque voto equos, Viros, cuncta victa occidioni dediſſe, teſtatur. Et *Jornandes lib. de rebus Goth.* de Celtis ait; *Martem Eos ſemper aſperimâ placaviſſe culturâ, cùm victimæ Ejus mortes fuerint captorum.* Quo pacto, obſecro, *Bojocalus in oratione pro Anſibariis ad Avitum; ut cœlum Diis, ſic terras generi mortalium datas eſſe* ait, ſi Bojocalus ille de Diis cognitionem nullam habuit? Templa quidem non colebant, fateor, neque idola, ſed eò magis rationi conſentaneus erat eorum cultus. Nimirum; *nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cæleſtium arbitrabantur: lucos ac nemora conſecrabant, Deorumq; nominibus appellabant ſecretum illud quod ſolâ reverentiâ videbant*, ut de iiſdem Idem *Tacitus* in aureo libello de moribus Germanorum. Plura non addam; ex his enim abunde patet, quàm falſa ſit illa de Atheiſmo adverſus Majores noſtros accuſatio.

VIII.

A Germanis ad Italos tranſitum facis, eoſque ante Numæ tempora omni penitùs religione deſtitutos fuiſſe, affirmas. Non puto quenquam noſtrûm exiſtere adeò rerum omnium ignarum, ut hîc tibi credat. *Dionyſium* adducis teſtem, & *Livium*. Eoſdem laudabo contra Te. *Oenotrum Arcadem ſeptendecim ætatibus ante Trojanum bellum ex Peloponeſo in Italiam trajeciſſe, ibique deſertos agros coluiſſe* refert *Dionyſius lib. I. Antiq. Rom. tmem. XI.* Arcadibus autem ab omni ævo Deorum antiquiſſimus fuit habitus atque honoratiſſimus PAN, cui quadringentis circiter annis ante Numam alii Arcades ſub colle Palantio ſive Palatino collecti templum extruxerunt Lupercal, teſte eodem *lib. I. tmem. XXXII.* Ecquot ſecula interfluxêre

inter Pompilium & Aborigines, quos mortalium omnium religioſiſſimos fuiſſe, vel ex ejuſdem lib. I. tmem. XVI. perdiſces. Pelaſgos gentem in Italia multis ante Romulum tempeſtatibus florentiſſimam, ab ultima hominum memoria eoſdem cum Græcis ritus obſervaſſe; ejuſdem generis expiationes & ſacrificia habuiſſe; frugum omnium & pecorum, tandem & liberorum ſuorum decimas Diis obtuliſſe, apud eundem *tmem.* XX, XIII. & XXIV. legimus. Quin tanta erat Priſcorum Italorum adverſum Deos veneratio, ut loca omnia, montes, nemora, agros, litora, inſulas, Ipſis dicaverint, totamque Italiam Saturno conſecraverint, Numen hoc rati omnem hominibus felicitatem plenè largiri: Idem *tmem.* XXXIIX. Æneæ Ejuſque Poſterorum pietas vel Pueris nota eſt: neque illos fugit, Romuli matrem Veſtalem fuiſſe. Veſtalem autem ſine Divini cultûs inſtituto quis fingat? Verùm pudet hæc operoſiùs probare.

IX.

Multò minùs igitur verum eſt quod dicis, Populum Romanum ſub Numæ tempora religionem horrori habuiſſe, cùm contrà peregrinum illum hominem ultrò ſibi Regem petierint ob *inclytam Viri religionem*, *Flor. lib.* I. cap. II. *Curibus Sabinis vocatus fuit Rex*, inquit Livius, *propterea quòd eâ tempeſtate inclyta Ejus Viri erat juſtitia atque RELIGIO, ipſeque eſſet DIVINI & humani Juris Conſultiſſimus.* Neceſſe igitur, Deorum venerationem jam tùm Romanis maximi habitam fuiſſe. Certè & Romulum Numæ anteceſſorem Albano & Græco ritu Sacra feciſſe, Feretrio Jovi templum condidiſſe, Deorum auguriis regnum ſuum commiſiſſe, Idem teſtatur Livius: eumque mirè reli-

religiosum augurandique peritum fuisse, ex Veterum traditione recenset Plutarchus. Quare alienum est quod ex Tuo illo Patavino adducis; *Commentum de Egeria in eum finem adhibitum fuisse, ut religio in Romanorum animos descenderet.* Non enim de prima cujuscunque religionis institutione, sed de vetustissimi cultús amplificatione atque confirmatione loquitur. Neque Numæ propositum fuit, commento illo docere Numinis alicujus existentiam, sed propterea quòd illius cognitio atque veneratio jam antè Romanorum animis altè insederat, quò magis suam stabiliret autoritatem, familiare sibi cum Eo consortium esse finxit.

X.

Imò qualiscunque sit illa fabula, credibile est eam non Numæ astutiâ primum excogitatam, sed ex hominum superstitione ortam esse. Audi Plutarchum: *Curibus Sabinis habitabat Numa illustri familia ortus, qui animum sua sponte ad omnes virtutes comparatum, doctrinâ, tolerantiâ, & sapientiæ studio excoluerat. Otium porrò suum non in lustris & quæstibus ponebat, sed in religione Deorum immortalium, & in eorum Natura atque potestate per rationem contemplanda. Ex quo vitæ genere tantum adeptus est nomen atque gloriam, ut Tatius, quem Romulus regni consortem habebat, unicam Ei filiam Tatiam nuptum daret; quæ cùm post inviolatum tredecim annorum conjugium obiisset, Numa relictâ urbanâ vitâ plerumque rusticari & errare solus voluit, egitque in lucis Deorum, in pratis & solitudinibus... UNDE POTISSIMUM NATA EST FAMA, Numam illum non ex mœrore aut animi perturbatione in secessu isto vivere, sed sublimioris contubernij gustu & cœlestibus nuptiis potitum.* Hæc ille. Videbant nimirum hominem, carissimæ con-

jugis

jugis consortio orbatum, solitarium, rus cessisse, ibi austeram vitam trahere. Hortabatur Eum procul dubio Vicinorum unus & alter, ut lætiùs ageret, neque adeò in seipsum esset crudelis, quin ad secundas transiret nuptias, pristinamque vitæ consuetudinem revocaret. Ubi ille; suavissimum istud vitæ genus esse, quo, non Mortalium contubernio, sed ipsius Numinis familiaritate cœlestique connubio frueretur. Ibi in proclivi erat, ut profanum & deliciarum animi nescium vulgus, voluptatem illam de fœda corporis libidine intelligens, animales inter Egeriam Deam & Numam concubitus fingeret. Quod figmentum utut Numa leviusculè forte rejecerit, fidem tamen obtinuit, neque ipse ad regnum admotus consultum judicavit ex hominum animis illud evellere, cùm ad venerationem sibi conciliandam non parùm profuturum esse intelligeret. Quamvis & tunc Deam illam ita frigidè habuerit, ut præter *Lucum* ad portam Capenam, & obscuram alibi *ædiculam*, nihil aliud, quantum ego memini, à Romanis ipsi fuerit dedicatum.

XI.

Verùm utut hæc se res habeat, ex iis quæ diximus abunde constat; *Numam religionis Romanæ autorem non esse.* Neque certè Dionysius, neque Livius, neque alius quisquam idoneus Scriptor id unquam asseruit. Hoc unum affirmant, Numam religionis negotium in primis habuisse, & ad Ejus culturam atque ornamentum sub ipsis Regni auspiciis animum præ reliquis applicuisse, Eamque, antehac simpliciorem nec ceremoniarum multitudine superbam, longâ rituum pompâ amplificasse. Janum, Saturnum, Cybelen, Jovem & quos non Deos, multis ante Eum tempestatibus à Priscis Italis adoratos esse certum est

est; sed sine templis, sine imaginibus. Quamvis jam ipsum Janum Diis templa feciſſe ſcribat *Macrobius lib. 1. Sat. cap.* IX. *ex Xenone lib.* I. *rerum Ital.* At ſi *Varroni* vel *Auguſtino* poitùs *Varronem* lib. IV. *de Civit. Dei cap.* XXXVI. *laudanti*, imò *Plutarcho* fides eſt, *centum & quinquaginta primis annis Romani templis, ſimulacris, Deorumque ſtatuis caruerunt*, ritu Perſarum, *quibus*, ut loquitur Cicero lib. 2. de legibus, *viſum fuit, non eſſe parietibus includendos Deos; quibus omnia deberent eſſe patentia atque libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet ac Domus.* Verùm etiamſi nullæ Ipſis fuerint Deorum imagines, delubra nulla, non inde tamen Eos minùs religioſos vel ſuperſtitioſos etiam fuiſſe credendum eſt. *Arbores enim Ipſis erant Numinum templa*, ut ait Plin. lib. 12. cap. 1. & in lucis Sacra fiebant. *Simplicia rura*, inquit Idem ille, *priſco ritu etiam præcellentem arborem Deo dicant, nec magis auro & ebore fulgentia ſimulacra quàm lucos, & in ipſis ſilentia ipſa adorant.* Imagines Deorum non habuerunt: hoc inde venit, quòd Eos ſolâ mente tangi poſſe, rectè credebant, ut ait *Clem. Alex. ſtrom. I.* Audi in hanc rem *Tertullianum, Apolog. cap.* XXV. *Etſi à Numa conſcripta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulacris aut templis res Divina conſtabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolio certantia mole, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & nidor ex ollis, & Deus ipſe nuſquam.* Pulchrè, argutè. *Frugi religio, & pauperes ritus*; ſed religio tamen, ſed ritus.

XII.

Ut igitur finem faciam, ſemper in Italia cultum aliquem Dei extitiſſe, omnes docent; quis eum inſtituerit, nemo uſpiam enarrat. Eſt nimirum ipſi humanæ naturæ

turæ coævus, neque prudentiæ neque politioribus ingeniis natales suos debet. Neque opus erat, ut eum à Pythagora disceret Numa; imò nec ab Eo discere potuit, cùm Samium illum Philosophum centum & amplius annos post Numam vixisse, constet. Quod tandem addis: Numinis cognitionem ex Græcia in Italiam translatam esse, lubens concedo: sed eâ lege, ut ipse simul primos Italiæ Incolas ex Græcia advenisse fatearis.

XIII.

Quòd verò ex *Herodoto* Pelasgos primis ætatibus Atheos fuisse pertendis, næ tu nimis apertè nobis ludos facis. Non ille dicit, Deum à Pelasgis fuisse ignoratum, sed *nullum Eos nomen aut cognomen Diis imposuisse, nec nisi progressu temporis, Dionysii aliaque ejusmodi nomina adoptasse, postquam an & iis uti liceret, Dodonæum oraculum consuluissent.* Non nullum agnoverant Numen; sed nullum numini proprium cognomen imposuerant; id autem si ad Atheismi convictionem sufficit, soli Idololatræ à crimine isto absolventur. Verùm de hîs plus satis. Sic Europæorum pietatem vindicavimus, proximè reliquas orbis partes à falsa accusatione purgaturi. Tu ex paucis quæ diximus plura collige; cras reliqua. Nunc ad alia divertamus.

APO-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018362371/phys_0032
Mecklenburg Vorpommern

APOLOGETICI
Pro
Genere Humano
Contra
Calumniam Atheismi
Pars Tertia.

Thesis I.

EUropam nuper ab Impietatis criminatione defendimus, mi Aristæe: reliquum est, ut & cæteras habitabilis Orbis partes ab accusatione Tua vindicemus. Quod ut compendio peragatur, néve eandem responsionem sæpiùs reponere necesse sit, quos adduxisti Testes in duas Classes distribuam. Sunt enim eorum nonnulli, quos temerè & falso de Barbarorum religione judicasse, convincam; sunt alii quorum fidem non elevabo, neque aspernabor authoritatem; sed ambigua, ab Aliis partium studio, â Te verò exercitii gratiâ, in alienum sensum detorta annotabo.

II.

In primo ordine *Sharrokius* occurrit, Vir cæterùm non ineptus. Ille libro *de Officiis Cap. XVI.* Insulares *Zeilan* Atheismi convictos affirmat. Verùm obsecro, quonam judicio, quibus testibus? Ipsemet forte Eos adiverat? Neutiquam. Geographum aut Historicum aliquem adducit testem? Neminem. A Mercatoribus aut aliis Popularibus id inaudivit? Tacet. Quid igitur adeò temere pronunciat? Imò adeò impudenter? Neque enim quisquam est paulum curiosior, quin *Zeilanensium* ritus atque mores pernoverit,

noverit, tot Scriptorum monumentis, tot frequentiſſimorum Negotiatorum teſtimoniis celebratos. Omitto quæ *Ludovicus Patricius Romanus*, quæ *Boulay-le Gouz*, quæ *Lindſchotanus*, aliique plurimi referunt; non ipſis ſolùm Deum Univerſitatis Rerum Conditorem adorari, ſed & hiſtoriam de Adami Ortu, ſede & lapſu vulgatam & creditam eſſe. *Maffeium* audi *lib.* III. *hiſt. Indic. Eſt in hac inſula locus, ubi jucundo imprimis*, inquit ille, *ſpectaculo ſylvoſi montes ad effigiem theatralem inflexi, vaſtam planitiem oblongo circuitu in caveæ formam includunt, quorum unus in arduam & ſubrectam altitudinem penè ſeptem leucarum exurgit; habetque in ſummo æquatam agri planitiem, ex cujus medio bicubitale ſaxum eminens inſtar menſæ, veſtigium demonſtrat impreſſum inclyti ſanctitate viri, quem ex Indiæ regno Deli quondam in ea loca veniſſe tradunt, ut gentem ſuperſtitionibus deditam, ad unius Dei cultum religionemque traduceret. Ergò tantæ venerationis eſt locus, ut à leucis amplius mille omnium ordinum peregrini ac præſertim Jogues illuc pietatis cauſa contendant ingenti labore: ſiquidem præter cæteras itineris difficultates atque pericula, in ejus etiam montis cacumen, non niſi per adactos clavos ferreaſque catenas, aſcenſus eſt.* Hominesné iſtos, Atheos dicas?

III.

Sic quod de *Souldanis Herbertus* refert, veritati omninò diſſentaneum videtur. Conſtat ex Armigeri illius itinerario, navim quâ vehebatur non ultra novendecim dies ad oras illas ſubſtitiſſe. Quis credat tàm brevi ſpatio adeò arctam Ipſi cum Barbaris contractam fuiſſe amicitiam, ut cultum eorum atque religionem penitus perſpicere potuerit? Nunquid exploraverit litora, priusquam in ea deſcenderet? nunquid ad ſecuritatis præſidium in re-

in regione prorsus incognitâ, priùs curiosè omnia circumspexerit, quàm Barbarorum manibus sese committeret? Et posteaquam se Illis credidit, nunquid verisimile est, Eum de aliis potiùs rebus, ut fieri solet, quàm de religione Eorum investiganda fuisse solicitum? Hisce autem omnibus expediendis nunquid potissimam partem illius, quam ibi traxit moræ, consumtam credis? Sed finge omnem metum ex Herberti animo protinus à Genio quodam excussum, omnemque de ineunda cum Immanibus Atheis familiaritate scrupulum exemtum fuisse; cedò quisnam mutui sermonis erat Interpres? Neque enim Ille Barbaros, neque Barbari illum loquentem intelligebant. Quo pacto igitur ipsi innotuit, quænam Incolarum de Cœlo & Inferis, de Deo & Dæmonibus esset sententia? Dicas; *At nullos deprehendit ritus in natalibus & sepulturis.* An igitur & tàm brevi temporis spatio à Barbaris ad natalitiam festivitatem & exequias invitatus fuit? Nimis certè familiariter. *At nullos vidit Deum orantes, nullos dies festos ab ipsis agitari observavit.* Certè eodem argumento & Europæi Athei erunt. Facile enim vel totum annum in Armorico aut Hibernico litore obversaberis, antequam ibi quempiam sub dio preces fundentem, aut sacras ceremonias obeuntem videas. Quid si non ad ipsa litora, sed in lucis & saltibus, vel in remotioribus quibusdam sacrariis eos celebrent? Quid si *Souldani* festos dies non nisi trimestres habeant vel anniversarios? Quid si aliis gestibus pietatem suam exprimant, sine geniculatione, sine manuum elevatione: fortè sedentes, fortè decumbentes, fortè ambulantes, ritibus nobis insolitis Deum venerentur? Anne in hæc omnia tam paucorum dierum spatio, Homo regionis & Gentis & linguæ ibi usitatæ i-

gnorantiſſimus, inquirere potuit? Non arbitror. Quantò igitur ſatiùs fuiſſet, ſi *Forbiſſerii* Popularis ſui modeſtiam imitatus, de Souldanis dixiſſet, quod ille de ſeptentrionalibus Americanis: *Qualem religionem colant, & quam Dei cognitionem habeant, aut quæ idola adorent, pro certo dicere non poſſumus.* In *narrat. Navig. Forbiſſ. in Occid. & Sept. cap. de Moribus.* Audi quid hac de re ſentiat nuperus inter Anglos Scriptor nobiliſſimus, *Ricardus Cumberland, in proleg. diſquiſitionis de Legibus Naturæ.* *Mihi ſanè*, inquit, *dubiæ aut potiùs malæ fidei videntur eſſe illæ narrationes de paucis aliquot Barbaris Americanis, atque de Souldaniæ incolis, quod nullum Numini cuivis cultum exhiberent. Nam negativa iſtiuſmodi aſſertio vix ullo teſtimonio probari poteſt. Ideoque temere videntur Acoſta Aliique de his pronuntiare, quorum linguam & mores animique cogitata non potuerunt intimè callere tàm brevi temporis ſpatiò. Legimus enim Iudæos & Chriſtianos, quorum diſciplina exterarum Gentium religione ſanctior erat, à multis tamen aliquando ſummæ impietatis falsò eſſe accuſatos.*

IV.

Neque majorem fidem meretur *Naſſovicæ Claſſis* teſtimonium, quod de *Magellanicis* ex Laëtio adduxiſti. Ex ipſa enim illa hiſtoria conſtat, Belgas cum Barbaris iſtis nullum omninò ſermonem unquam miſcuiſſe, neque ad interiores tractûs illius partes penetraſſe, verùm in freto ſubſtitiſſe, nec niſi aquatum deſcendiſſe; ubi poſtquam Eorum ſeptendecim in littore aliquando pernoctantes à Barbaris noctu irruentibus fuiſſent occiſi, nullum præterea ex Incolis illis conſpexerunt. Neque Hiſpani nec Angli majorem illorum Hominum notitiam potuerunt acquirere, cùm ad primum peregrinorum aſpectum

ctum in montium atque sylvarum inaccessa aufugiant, ubi Eos indagare atque ex insidiosis latebris eruere nemini hactenus Europæorum volupe fuit. Neque *Magallanes* terras illas alio indicio deprehendit habitatas esse, quàm quòd noctu hinc inde collucentes ignes vidit, unde & nomen ipsis inditum *Terra del Fuogo.*

V.

Ejusdem ordinis est testimonium quod de *Peruanis* perhibet Laëtius: *Eos* scilicet *antequam Yncarum imperio subjecti essent, pro arbitrio suo varias res sibi colendas selegisse: Quosdam plantas adorasse, alios bestias easque sævissimas, & ut verbo dicam, quicquid vel singulariter gratum vel horrendum fuit, Dei locum apud ipsos tenuisse*: FUISSE TAMEN ETIAM, QUI NIHIL OMNINO ADORARENT. Ultima hæc verba urges. Verùm obsecro an in re tanti momenti fidem illis habeas, quæ Autor aliud agens adeò obiter & breviter atque oscitanter effutiit? Quando recentiores Historici res multis abhinc sæculis gestas describunt, nemo certè ipsis fidem habet, nisi eam Veterum scriptorum testimoniis communiant. Quid igitur Laëtio credas, quando sine Idoneo teste, antiquissimos & ut ipse fatetur jam à priscis temporibus obsoletos, & ex hominum memoria deletos, incogniti antehac Populi mores describit? Atheos enim quos in Peruvia fuisse ait, non his tempestatibus, sed olim ante Yncarum vetustissimum licèt Imperium extitisse fingit. Portò mirandum, quòd neque *Augustinus de Zarata*, neque *Benzo*, neque *Franciscus Lopezius di Gomara*, neque alius quisquam Peruviæ Historicus ejus rei mentionem facit. *Benzo* certè *Histor. novi Orbis lib. III. cap.* XX. *Peruenses cum Dæmonibus colloquia miscere & Solem pro præcipuo*

cipuo numine habere, & apud Ipsos ingentia atque immensæ opulentiæ delubra, parietibus auro & argento incrustatis extructa, inveniri testatur. Et Calveto in notis ad illum locum; Peruenses de mundi etiam creatione & diluvio aliquam notitiam ex vetustissima traditione percepisse, docet. Ipsum audiamus; Tradunt Peruenses insignem quendam Virum (Kon ipsi vocant) à Septentrione quondam in eas terras venisse mirâ pedum pernicitate, & nullis ossium fulcuris aut nervorum vinculis compacto corpore: qui solo nutu montes in plana subsidere cogens, & profunda vallium complanans, viam sibi per invia faceret: Eum porrò priscos earum terrarum homines & fœminas creasse, atque illis herbas & fructus sylvestres, sustinendæ vitæ dedisse: Mox ab Indis plana incolentibus offensum, terras antea fertiles in arenas steriles vertisse, atque inhibuisse pluvias: Ex eo nihil aut rarò apud Eos pluisse: Misericordiâ tamen motum, ne squalidâ siccitate regio animantia respueret, fontes aperuisse & fluvios. Hunc quondam, cùm Solis & Lunæ Filium ferrent, pro summo numine adorabant: Donec ab Austro successit Alter, Pachachama nomine (id Creatorem apud Eos sonat) Sole & ipse ac Lunâ ortus, priore longè potentior: Cujus adventu ferunt Kon disparuisse: Istum autem creatos à priore illo mortales, in aves, cercopithecos, ursos, Leones, psittacos mutasse: atque Indorum qui nunc eas terras obtinent majores creasse, illosq; terræ atque arborum culturam docuisse: Itaque ex eo hunc pro Deo ab illis habitum, templum & Divinos honores obtinuisse; & nuncupatam Ejus nomine provinciam, quatuor tantùm à Lima leucis: ubi quondam Ejus regni Proceres, quum excederent vitâ, sepulturæ locum elegerint, istumque Pachacamam multas ætates durasse. Narrant etiam, priscis temporibus terrarum inundationem accidisse, eâque omnes mortales sub-

ſubmerſos fuiſſe, præter paucos qui altiſſimorum montium ſpecubus abditi, proviſo commeatu & cavernarum faucibus obſtructis, communem ſortem effugerunt. Porrò ipſos cùm remiſiſſe imbres conjicerent, emiſiſſe duos canes, quos cùm madentes & elutos recepiſſent, inde judicaſſe nondum opportunum eſſe exire. Mox rurſus emiſſos, quum cœno oblitos & ſordidos regredi viderent, & aquas ſubſediſſe nihilque præter limum ſupereſſe, inde deprehenderent, tùm demum ex cavernis erepere auſos, magnam vim ſerpentium offendiſſe, quas diluvio recenti lutulenta tellus ediderat, easque magno labore ſuſtuliſſe. Immortalitatem etiam animorum & corporum reſurrectionem credunt, &c. Operæ pretium viſum eſt, paulò fuſius iſta recitare, ut videas quænam fuerit Gentis hujus vetuſtiſſima, & *Ingarum* imperio longè antiquior religio.

VI.

Et certè diſtinctionem Veteris & Novæ Peruenſium religionis commentitiam eſſe, vel ex eo patet, quòd quam Laëtius Priſcis aſcribit, conſtanter alii Scriptores hodiernis Incolis attribuunt. Audi ex multis *Lopezium de Gomara, in Hiſtoria Indica Cap. CXXI. de religione & Diis Regum Ingas.* Verba ejus ex verſione Italica *Auguſtini de Cravaliz*, ob ſingularem quæ eis ineſt feſtivitatem, non piget afferre; *In queſto paeſe c' è tanti Idoli come officii, non voglio dire huomini, perche ogni uno adora quello que gli piace; mà è coſa ordinaria al peſcatore adorare un tiberone, overo qualche altro peſce; al cacciatore un lione, overo un orſo, ò una volpe; & ſimili animali, con molti altri uccelli & coſette: Il contadino adora l' acque & terra: in fine tutti hanno per principaliſſimi Dei il Sole, Luna & terra, credendo eſſere queſta la madre di tutte le coſe, & coſi quando jurano toccano la terra, & guardano il Sole. Fra i loro Gua-*

cas (che cosi chiamano gli Idoli) ci erano molti con baccoli & mitrie di Vescovi, ma la cosa di questo non si sa encora, & gli Indiani quando viddero Vescovo con mitria, domandavano se era Guaca delli Christiani. Hæc ille; ex quibus ea quæ *Laëtius* refert transcripta esse, facile vides, ita tamen ut duplicem ille erorem erraverit, tùm quod Atheismi crimen (cujus apud Gomaram nulla planè mentio) quibusdam sine Autore affingit, tùm quòd ipsissimam Yncarum religionem inter abolitos vetustissimorum Incolarum ritus recenset. Quamvis & hæc ipsa quæ ex *Gomara* attulimus à *Garcilasso de la Vega* falsitatis coarguantur, cùm juxta Ipsum *Peruenses* non multos Deos, sed unùm verum Numen sub aspectabili Solis imagine coluerint. Hinc patet, quàm falsa sit illa distinctio temporum ante & post institutum *Yngarum* Imperium: quandoquidem illa quæ hactenus narravimus, ad antiquissimos quoque Peruenses, cùm adhuc communi *Curacum* regimine gubernarentur, pertineant, quod idem luculenter satis constat ex *Levini Apollonii historiâ Peruviana, Lib. I. circa finem.*

VIII.

Idem confirmatur testimonio *Petri di Cieca di Lione part. I. Chron. Peruv.* cap. XLVIII. ubi in provincia *Portûs Veteris*, quæ Yncarum imperio semper restitisse creditur, Incolas religiosissimos & sacrificiis deditissimos fuisse docet. Lege quæ habet *Cap.* L. de *Mantensibus*: *Cap.* LXIII, LXIV, LXV. & seqq. de aliarum omnium *Peruviæ* regionum Incolis; ubique prisci Deorum cultûs occurrent vestigia, splendidissima templa, & sepulchra cumprimis ingentibus thesauris referta. Cùm enim non immortalitatem solùm animarum, sed & corporum resurrectionem credant, *quando Principem aliquem Virum terræ mandant;*

mandant; *uxorem viventi carissimam atque è servis fideliores aliquot, præterea magnum auri atque argenti pondus, quò honorificentiori comitatu postea in vitam redeat, simul cum defuncto condunt*, ut ait *Apoll.* lib. I. Hinc & Hispanos, quum *monumenta illa ad eruendum aurum atque argentum aperirent, orabant, ne ossa humatorum dissiparent, quo videlicet illi ocyus & minori cum negotio resurgerent*, ut refert *Aug. Zarata Hist. Peruv. lib.* I. *Cap.* XII. Neque dicas sepulcra ista nuperis demum tempestatibus condita esse. *Petrus* enim *di Cieca* Cap. LXXXIII. testatur, se, cùm anno superioris seculi XXXV. sepulcrorum istorum direptioni ipse adfuisset, nonnulla vidisse *ejus vetustatis, at prægrandibus atque annosissimis arboribus obsita fuerint.* Fateor quidem, ut idem author docet *part.* I. *Chron. Peruv. Cap.* VIII. *Urabensibus* in *Popayan*, provinciâ meridiem versùs Peruviæ vicinâ, *ædes sacras ubi adorent nullas esse*, sed eodem oculato teste, *summa cum veneratione colunt Dæmonem, à quo horrendum in modum se sæpiùs divexari narrant.* Prætermitto quæ Idem *Cap.* XIX. de *Armensium* sacrificiis, & *Cap.* XXIII. de religione *Carapensium* refert. Ubi hoc cumprimis notatu dignum, quod Cacodæmonem ab iis adorari testatur, propterea quòd Eum *rerum omnium humanarum potentem esse credunt, non verò quòd non alium quoque summum Deum, Mundi Creatorem cognoscant.* Cæterùm de Atheismo apud omnes hos Scriptores constans silentium. Neque *Garcilassus de la Vega*, si de Vetustissimorum *Peruensium* religione siniſtrè pronunciaret, fidem hac in re mereretur. Hoc enim solùm videretur agere, ut Majorum suorum *Yngarum* scilicet (ex quorum stirpe se oriundum jactat) pietatem, prudentiam, & in Peruenses merita deprædicaret, quasi verò illi

rò illi, antequam eorum jugo subjicerentur, ne humanæ quidem Naturæ compotes fuissent.

IX.

Pergis ad *Guajanos*, de quibus *Laëtius* lib. XVII. *Cap.* XI. *Guajanenses religionem nullam habent, & paulò pòst*; UT NULLAM COLUNT RELIGIONEM, ITA NEC SACERDOTES HABENT. Sic ille disertè, sed audi quæ addit, *Solem & Lunam quidem venerantur, Eosque animatos credunt, non tamen adorant, nec sacrificiis nec aliis oblationibus honorant, quantum quidem hactenus Nostratibus observatum est; neque ceremonias adhibent sacras, nisi exequiis, in quibus superstitiosos quosdam ritus colunt.* Nunquid animadvertis Solem & Lunam, quos animatos credunt, Eorum Deos esse? Audi porrò, quæ sequuntur apud eundem: *Nullos habent Sacerdotes, sed Magos tamen quosdam, & Divinos sive Prophetas.* At quomodo *Divinos* illos admittunt, si nullum Deum credunt? Audi plura; *Maxima eorum pars animorum immortalitatem, & Improbos ad tartara, quæ* SOY *vocant, detrudi, Pios ad* CAUPO, *id est, Cœlum evehi credit. Quare si quis Principum inter eos moritur, servum mactant, qui Herum suum comitetur, eique in Mortuorum sedibus ministret. Nostrates etiam observarunt, quosdam Barbarorum illorum, nominatim Yaios Deum habere* TAMOUCOU, *qui in superiore aëris regione habitans, inde pro arbitrio omnia gubernet; hinc mane & vesperi ipsum adorare solent: Verùm hoc Barbaris illis peculiare videtur.* Consultè dicit, *videtur.* Verùm utut sit, ex iis ipsis quæ Laëtius refert, *Guajanos* Dei non omnino nescios esse, liquidò concluditur.

X.

Porrò, quod *Novæ Mexicæ* Incolas attinet, Eos Atheos

Atheos esse, apertè falsum. Multa habent idola, inquit *Laëtius lib.* VI. *cap* XXII. *quæ adorant, & in singulis propemodum domibus sunt sacella cultui Diaboli dicata. Quemadmodum Christianorum mos est, cruces statuere juxta vias, ita illi sacella ædificant picturis aliisque ornamentis instructa, in quibus credunt Diabolum noctu hilariter agere, quando ab uno pago ad alterum concedit.* De Incolis Provinciarum de *Los Tiguas* & de *Los Quires* idem docet *Laëtius, cap.* XXIII. *Conchos* verò quod attinet, idola quidem non habent; sed inde non evincitur, Atheos esse. Solem proculdubio & Lunam sine imaginibus adorant. Tales enim Astrorum Cultores in Nova Mexica plurimos esse, testatur Alphonsus de Benavides.

XI.

Brasilienſium equidem fateor horrendum esse stuporem, si vera sunt quæ de iis Geographi narrant. Sic enim *Lerius navig. in Brasil. cap.* XVI. oculatus & auritus testis; *Quoties cum illis colloquebamur*, inquit, *ac mentio de Deo incidebat, dicebamus nos credere in unum Deum Creatorem cœli & terræ, qui ut orbem & quæcunque in eo sunt condidit, ita omnia pro arbitrio gubernat. Illi ubi hæc audierant, alii alios intuentes, & in hanc vocem (quæ admirationis nota Ipsis familiaris est) erumpentes* The! *defixi & stupefacti hærebant. Præterea, quoniam tonitru fragore vehementer terrentur* (id Toupan vocant) *si Eorum consulentes ruditati, occasionem inde arriperemus, Eos docendi, diceremusque Deum illum esse, qui ut suam indicaret potentiam, cœlum terrámque eo modo concuteret: illi excipiebant, Deum illum à quo adeò terrerentur, esse nequam.* Idem in Præfat. *Cultus ille qui apud alios Populos religionis nomen obtinet, apud Eos locum nullum habere dici potest. Quin & illud addo, Eos (si*

quæ Gens in toto orbe terrarum) ſine Deo vitam hanc tranſigere. Idem docet *Andreas Tevetus in hiſtor. Franciæ Antarcticæ lib.* I. cujus verba ex verſione Ital. *Joſephi Horologgi* non injucundum forte erit audire ; *Non hanno*, inquit ille, *alcuna maniera di preghi, ne di honori piu una volta che un' altra, ne manco luogo appropriato a queſto. Se è loro tenuto propoſito di Dio, come qualche volta è venuto bene di fare, ſtavano à udire attentamente, e con maraviglia; e dimandavano ſe queſto Dio era il loro Profeta, che gli havea inſegnato a piantar le groſſe radici chiamate da loro Hetich. Hanno per relatione de i padri loro, che prima che haveſſero la cognitione di queſte radici, che vivevano d' herbe come le beſtie, e di radice ſelvatiche. Si truova, per quel che dicono, nel paeſe loro un gran Caraibe, che vien a dire Profeta ; il quale andò a una figlia giovane, e le donò alcune radici chiamate* Hetich, *molto ſimili a i nauoni di Limoges, monſtrandole che le faceſſe in piccioli pezzi, i quali ſi piantaſſero da poi in terra; Come fece la giovane, & da indi in poi comminciarono quelli l' uſo di queſta radice, &c. Barlæus item in Comment. de rebus ab Illuſtriſſ. Mauritio Naſſovico in Braſil. geſtis*, aliique, adeò diſertè teſtantur, Braſilienſes religionem nullam colere, ut impudentiæ notam vix effugeret, qui tot tamque locupletibus Scriptoribus fidem derogare vellet.

XII.

Verùm enimverò miſeros illos Mortales, penitùs Atheos eſſe, ex iis quæ hactenus allata ſunt nondum conſtat. Quin contrarium ex Ipſis Illis Scriptoribus evincam. Audi primò Ipſum *Lerium* eod. cap. XVI. *At quærat fortaſſe quiſpiam, fierine poteſt, ut brutorum inſtar Americani ſine religione vivant ? Ego verò reſpondeo, quod jam antea attigi,*

attigi, perparum ab eo abesse, nec credere me gentem ullam in toto terrarum orbe existere, quæ ab omni religione sit magis aliena. Attamen ut etiam exponam quantulum lucis inter densissimas tenebras, quibus obcæcantur, perspexerim, affirmo Eos non modo immortalitatem animarum credere, sed pro certo etiam habere, post mortem Eorum animas qui virtutem coluerint, post altissimos montes evolare, & Patrum atque Avorum suorum animis aggregari, ibique in amœnissimis hortis perpetuis deliciis ac tripudiis lætum ævum agere: Ignavorum contrà manes abripi ad Aygnan (*sic Cacodæmonem vocant*) *& cum Eo sempiternos inter cruciatus vivere. &c. Cæterùm miserrimi Nostri Barbari in hac etiam vita miserè à Cacodæmone torquentur,* (*quem alio nomine Kaagerre nominant*) *Ipse enim eos nonnunquam vidi, etiam nobiscum colloquentes, protinus instar Phreneticorum exclamare, Hej! hej! opem ferte nobis, nos enim verberat* Aygnan, &c. *Et ut constet tormenta quibus infestantur, ludicra non esse, Ipse Eos nonnunquam vidi, malum illud recordantes adeo horrore perculsos, ut præ angore sudantes, manuque femur percutientes, his verbis apud Nos conquererentur*; Mair Atouraſſap, Acequeiey Aygnan Atoupave, id est, Mi stulte, mi Socie, ego Aygnan præ reliquis omnibus malis reformido. &c. *Inprimis tenendum est, Prophetas seu Sacerdotes quosdam apud Eos esse, quos Ipsi* Caraibes *vocant, &c. Præterea tertio vel quarto anno frequentissimi conveniunt, & singulari rituum superstitiosorum & chorearum solennitate defunguntur*: quemadmodum ea fusiùs à Lerio recensentur. *Ubi istud cumprimis notandum, quod festo illo die hymnos & varias sacras cantiones canunt, quibus primùm avos vitâ functos, qui fortissimi fuerant, deplorant, deinde verò consolationem ex eo capiunt, quod sperant futurum, ut illos tandem post montes adeant ac cum illis tribu-*

tripudient & hilaria celebrent : tùm graviſſimè Ouetacatibus *hoſtibus ſuis vicinis interminantur, eorumque interitum prædicunt. Inſuper cantionibus illis de diluvio aliquid interſerunt, aquas aliquando adeò exundaſſe, ut univerſam terram operuerint : atque illâ inundatione homines omnes fuiſſe extinctos, exceptis demùm majoribus ſuis, qui prealtas arbores conſcenderant. In amicorum funeribus,* refert idem *Lerius* cap. XIX. *ſeſe conſolantur ſpe futuræ poſt mortem conjunctionis, & primâ nocte poſt funus non pauca farinæ, piſcium, carnium, aliorumque ciborum diligenter præparatorum, nec non potionis* Caouin *plena vaſa circa ſepulcrum apponunt, ne* Aygnan, *nî alios cibos offendat paratos, cadaver effodiat ac devoret, Eamque libationem tandiu faciunt, quoad cadaver penitùs conſumptum eſſe credunt.*

XIII.

Ex his certè omnibus patet, mi Ariſtæe, *Braſilienſes* penitùs Atheos dici non poſſe, cùm & Sacerdotes atque Prophetas habeant, & animorum immortalitatem credant, & Dæmones vereantur, & ſuperiorem Potentiam agnoſcant. Sic enim & *Tevetus*, quando de Barbaris iſtis loquitur; *Non vi alcuna natione tanto barbara, che per inſtinto naturale habbia qualche religione e qualche penſiero di Dio. Confeſſa ogn' uno che vi è una poſſanza ſourana; ma pochi però ſanno quello ch' ella ſi ſia, e ſolamente quelli a chi il Signor noſtro per ſua mera gratia l' ha voluto comunicare. Queſta ignoranza dunque è quella che è ſtata cagione della diverſità delle religioni, perche alcuni hanno conoſciuto il Sole, come ſourano, altri la Luna, è qualche altra ſtella, altri altre coſe. E queſti ſelvaggi fanno mentione di un gran ſignore, chiamato nella loro lingua* Toupan, *il quale dicono, che ſtando in alto fa tuonare e piovere, &c.* Et paulò pòſt. *Eſtimano grandemente il* Tou-

il Tuopan. *che non si ferma mai in un luogo, anzi andando quà e là, dicono che rivela i suoi gran secreti a i Profeti.* Per *Toupan* igitur intelligunt *Deum*, nullis, ut rectè docent, locorum spaciis affixum, summum tempestatum & tonitruum Directorem. Hinc fulmina ac fulgura cum magna veneratione ab Ipsis suscipi testatur *Barlæus*; rectiùs dixisset, ut *Tevetus* oculatus testis docet, Ipsum Dominum tonitruum ab iis timeri. Unde colligo, ea quæ Barbari *Lerio* de tonitru dissertanti responderunt, haudquaquam ita intelligi debere, quasi Superius aliquod Numen non agnoverint, sed quòd, dum fulgurat atque fulminat, Numen illud sibi crediderunt infestum, cùm Christiani id tanquam sibi Benevolum atque Propitium celebrassent. Imò verisimile est, *Lerium* qui linguæ Brasilienſis se non adeò peritum esse multis in locis ingenuè fatetur, barbaram vocem, quam per *τὸ Nequam* explicat, etiam iratum atque infensum significare; eâ planè analogiâ, quâ Germani per vocabulum **böß**/ & Galli per *mauvais*, & malignum atque Improbum, & iratum atque malevolum notant. **Iſt er dann ſo böß**? Est il donc si mauvais? Quod Latinè diceres: *Anne est adeò improbus ille?* vel alio etiam sensu, *Tantæne animis cœlestibus iræ?* Et hanc quidem conjecturam confirmat Ipse Brasilienſium Genius, utpote qui Bonitatem atque malitiam ex amicitia vel odio solùm metitur, Eos *nequam* appellitans, quos sibi noxios aut infestos credit.

XIV.

Cæterùm facile conjicio, quàm dubii & suspecti sint Interpretes atque Testes, quicunque non nisi prima linguæ alicujus rudimenta nôrunt. Nôsti quàm crassos atque stupendos errores levis illa cognitio produxerit. Sunt qui

nomina montium, urbium aut Populorum propria, de virtutibus, vitiis, vel de actionibus denique qualibuscunque sunt interpretati. Sunt Viri cæteroquin docti, qui nomina, ut vocant, *appellativa* ita explicarunt, quasi certa essent Gentium aut regionum indigitamenta. Exempla afferre possem quàm plura, quæ & hujus rei fidem facerent, & risum moverent. Eos autem qui Novum istum orbem pervestigârunt, in istiusmodi errores creberrimè incidisse, certum est. Audi in argumento consimili *Garcilassum de la Vega*, ubi Hispanorum, de Peruensium religione errores ex Barbaræ linguæ ingnorantia ortos perstringit; *Les Espagnols attribuënt faussement plusieurs Dieux & Deesses aux Peruviens; car combien qu'ils eussent en grand honneur diverses choses, sous lesquelles le Diable avoit coustume de leur apparoitre, ou de parler par elles, comme étant sacrées, neanmoins ils ne les adoroyent pas: & cette erreur est venüe de ce que les Peruviens nommoient telles choses* Huaca *ou* Guaca: *or le mot* Huaca *avoit parmi eux une signification fort étendüe, pour signifier tout ce qui étoit sacré, & tout ce qui étoit excellent en son espece, tout ce qui etoit monstrueux, & enfin tout ce qui etoit remarquable en la nature des choses, soit en beauté ou en laideur: d' ou vient, que nommans de ce nom les Idoles, les Espagnols creurent que les sauvages servoyent autant de Dieux qu' ils appelloient des choses, Huacas. Il y a eu la même erreur au mot* Apachecta; *pource que cela etoit ordinaire aux sauvages, toutes les fois que portans quelque chose de pesant ils avoient monté quelque colline ou montagne droite & difficile, de se decharger au sommet, & elevant les yeux trois fois au ciel, & les baissant autant de fois, de dire* Apachecta, *c' est à dire*, A celuy qui fait que nous nous levons. *Comme s' ils eussent dit*; nous rendons graces à celuy, qui nous a don-

né tant de force que d'apporter ce fardeau sur un lieu si haut (*car cela étoit familier à cette nation d'exprimer toute une sentence par un ou deux mots*) *les Espagnols qui avoient oüy cela, soupconnerent que les Sauvages adoroyent les montagnes & les collines, & qu'ils les appelloyent* Apachitas. *Et en cette façon il est vrayssemblable, que les Espagnols ont attribué, tant à ces sauvages, qu'à d'autres, plusieurs Divinités par l'ignorance de la langue.* Hæc *Inca Garcillassus* ex transfatione *Laëtij* lib. X. cap. I. Eodem modo quo linguæ ignorantia Hispanos in errorem deduxit, proculdubio & *Lerium* vocis ambiguitas fefellit.

XV.

Sed quid opus est hæc anxiè persequi? Ipse *Laëtius*, cujus Testimonium contra Brasilienssium religionem adduxisti *lib.* XV. *cap.* II. ait, *nullum apud Ipsos esse Deorum nomen, præter nomen* TUPA, *quo* SUPREMAM ALIQUAM EXCELLENTIAM *notant: hinc Tonitru vocant* Tupa Canunga, *id est*, sonum editum à suprema Excellentiâ: *& fulgur*, Tupa Beraba, summæ Excellentiæ splendorem. *Huic* TUPA *accepta ferunt agriculturæ scientiam atque instrumenta, adeòque* ipsum Deum agnoscunt. Ergò certum est, quod & Tevetum asserentem audivimus, Eos nomine Toupan non tonitru, sed tonitrûs Autorem Deum intelligere, ipsumque extimescere. Hoc idem non obscurè confirmatur eo, quod *Barlæus* de *Chilensibus Toupinambaultorum* vicinis refert; *Ipsos religionem non colere, neque festos dies agere, Deum tamen aliquem invocare*, Pillan *nomine, quem tanquam in aëre volitantem spiritum venerantur; in cujus honorem etiam (præsertim quando copiosior potus ad hilaritatem Eos provocavit) certos quosdam hymnos canunt. Quoties tonat, terrentur, & orant ut fulminibus istis hostes*

ſorum percutiantur: ex ore etiam & naribus magnam efflant fumi ex Tabaco copiam, invocantes Pillan Pillan, *quaſi iſtiuſmodi fumitu debitum Ipſi cultum exhiberent. Quando victoriam aliquam obtinuerunt, convivia agitant, telum terræ infigunt, circumcirca choreas ducunt, & ſolennes in* Pillani *ſui honorem cantiones canunt.* Nunquid vides hunc *Pillan* eſſe Ipſum *Braſilienſiſium Toupan*, tonitruum Moderatorem Deum? Quare ipſe *Lerius* d. *cap. §. Ergò ut ad inſtitutum* &c. fatetur; *quod ſi diligenter omnia perpendantur, facile colligi poſſe, Ciceronis ſententiam*, (quòd nulla gens adeò immanis ſit quin Deum aliquem habeat) *apud Eos quoque locum habere.* Sic igitur, mi Ariſtæe, prolixè ſatis oſtendimus, *Braſilienſes* Ipſo ſuorum Accuſatorum calculo abſolvi.

XVI.

Examinavimus hactenus Teſtes primi ordinis, hoc eſt Eos qui temerè de Barbarorum religione judicarunt; accedant nunc ii quorum verba, contra ipſorum mentem, ad accuſationem exercitii gratiâ detorquere voluiſti, mi Ariſtæe. Hos inter primum colloco *Landonnerium*, qui cùm nullam *Floridenſibus certam religionem, nec certum Numen coli* dicit, hoc tu ita accipis, quaſi omnem Ipſis Dei cultum denegaſſet, cùm ille de certa tantùm, id eſt, publice conformi atque conſtanti religione loquatur. Non alium adducam Interpretem, quam Ipſum eundem *Landonnerium*, qui paulò poſt: *Solem tamen*, inquit, *Floridenſes colunt, & lunam, & quicquid communem rerum conditionem excedit, ſuperſtitioſè venerantur. Sacerdotes quoque ſuos habent, quibus promptum ſatis præſtant obſequium, quoſque in negotiis magni momenti diſceptandis primos conſulunt:*

Soli

Soli victorias suas acceptas ferunt, Ipsique eo nomine solennes gratias agunt. Hæc ipsus ille.

XVII.

Occurrit in hac eadem testium serie *Hugo Lindtschotanus*, Vir certè fide dignissimus, sed cujus verba in sequiorem sensum adduxisti. Solet ille Atheos vocare, omnes Eos quicunque verâ religione & salutari Christi cognitione destituuntur. Sunt illi certè *Athei* suo sensu, & tales Ipse Dei Spiritus nominat Eph. II. 12. non tamen *Athei* sunt, eo de quò hic agitur gradu. Sic quando de *Guineensibus* loquitur, *nullam Dei noticiam Ipsis inesse dicit*, quod quomodo sit intelligendum, ex iis quæ addit facile perspicitur. Vocat enim Eosdem, *Ethnicos & Idololatras*. At Idololatræ nostro sensu Athei non sunt. Eâdem ratione affirmat nullas *Guineensibus* esse leges, aut vivendi præscriptum ordinem; quasi verò credibile sit, sine legum vinculis & sine ulla morum disciplina, adeò *cultam* atque *populosam* esse posse regionem illam. Non igitur omnem, sed genuinum tantùm & Christianæ fidei consentaneum cultum, & instituta nostris similia negat. Eâdem cum limitatione intelligenda sunt, quæ de Incolis Promontorii *de Lopes Gonzalim* ex eodem Autore allegasti; nimirum ipsos *Deum non cognoscere*; adde, *nec verbum ejus*. **Wissen nichts weder von GOtt noch seinem Wort.** Idem sensus est, quo solemus dicere de Ethnicis: **Sie erkennen Gott nicht/** non quòd planè ignorent Deum esse, sed quod Naturam Ejus & verum cultum nesciant. Quare addit, *Solem & Lunam ab Ipsis adorari*. Non ergo omni religione sunt destituti. Sic solenne est Scriptori isti simpliciter asserere, quæ non sunt simpliciter intelligenda. Exemplo sit, quod de iisdem Populis loquens, *impudicitiam*

apud Eos dedecori haberi negat, quos tamen eâdem paginâ teſtatur, *Cæterà nudos, tegmine ex corticibus confecto ſuate-gere pudenda*: & paulò pòſt certa matrimonia & *propriam cuique uxorem* eſſe docet. Sic idem de *Nigritis* ſive *Caphris* in *Moſambica*, & ad littora *Æthiopiæ*, beſtiarum inſtar inter ſe commiſceri: & tamen paulo pòſt, *nuptiarum quas celebrant ſolennitates* deſcribit, *ſponſamque monile ex arefactis virilibus membris baccatum geſtare* refert. Quid autem *ſolennes nuptiæ*, ubi *vaga commixtio*? Nimirum non vexanda ſunt illa, ſed ex vulgato loquendi more interpretanda verba; eodem ſchemate, quo ſi non nemo dixit adulteria apud Gallos pro ludo & joco haberi, certè injuriâ afficeret Gentem illam, ſi inde adulterium Ipſis probari colligeret. Cæterùm non Atheiſmo ſed monſtroſis potiùs ſuperſtitionibus Africam Aſiamq; infeſtari, ex eodem Autore diſces. Exemplo inter alios ſint *Narſingani*, in littore *Choromandel*, qui *Pagodem* quempiam tanta cum animi devotione colunt, ut ad venerationem ſuam teſtificandam nonnulli in proprium corpus ſæviant, ex eo carnes exſcindant, & Idolo offerant; Alii curribus cultores ad Pagodem advehentibus ſeſe ultrò objiciant, dum membra omnia rotis irruentibus fracti atque contriti miſellam expuant animam: quorum oſſa poſt dirum illum obitum, ceu ſacræ reliquiæ poſteris venerandæ reſervantur.

XVIII.

Eodem modo explicanda ſunt quæ de *Zemblitis Moſci* retulerunt. Nam certè Holandi in itinere anno ſuperioris ſæculi nonageſimo quinto multa idola in deſerto litore viderunt, & *Samoitæ Soli, Lunæ* & *Arcturo* pro mortuorum ſalute offerunt ſacrificia, & *lignea* idola colunt; unde evidentiſſimè patet, quæ Moſci de iis dixére, non niſi habitâ

habitâ cum aliis comparatione esse intelligenda. Ille enim valde ineptus esset, qui societatem, qualis inter eos colitur, sine ulla lege ac fide conservari posse arbitraretur, aut sibi persuaderet, illos penitus feros esse, (durchauß wilde Leuth) Certè enim si tales sint, homines non sunt.

XIX.

Idem schema dictionis *Acostæ* usitatum est, quando Vetustissimos Americæ Incolas Brutorum Generi non absimiles fuisse, & *sine lege, Rege, Deo, aut ratione vixisse* ait; quâ hyperbolâ *Forbisserius* quoque utitur, ubi *Descript. navig. Occid. & Sept. circa finem* disertè asseverat; *Zonas frigidas habitari ab hominibus* RATIONIS *usu carentibus.* Itane verò? Anne ergo semper-infantes sunt? vel an perpetuum somnum dormiunt? vel an delirant omnes? Certè si *rationem* non habent, homines non sunt, neque *Populus* dici debent, sed armentum. Verùm seriò agamus. Dicuntur nimirum sine *ratione* vivere, non quòd *nulla* omninò, sed quòd non *recta* ipsis insit ratio; sic & sine religione dicuntur, non quòd *nullam*, sed quòd non veram colunt. Hæc ad nativam atque universalem Generis Humani pietatem vindicandam abunde sufficiunt. Quid restat igittur quàm ut concludamus, NULLAM GENTEM ADEO ESSE EFFERATAM, QUIN NUMEN ALIQUOD HABEAT.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018362371/phys_0053
Mecklenburg Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1018362371/phys_0059
Mecklenburg
Vorpommern